

quia qui spiritu divinitatis afflantur, concubant ter-  
restribus, calefibus inbiant, & aternis.

38. Ait Christus Dominus suis discipulis, Matth.  
24. num. 15. Cui videtis abominationem deso-  
lationis qua dicta est à Daniele Propheta, stantem  
in loco sancto: qui legit intelligat. Tunc qui in Ju-  
dæa sunt, fugiant ad montes, & qui in tecto, non  
descendant, tollere aliquid de domo sua. Grassante  
illa misera abominatione in loco sancto, docet  
Dominus, quod qui in Judæa sunt, fugiant ad  
montes, & qui reperter fuerit in tecto, non des-  
cendat inde, sed, si necessitatem alicujus rei ad  
sustentationem passus fuerit, sustineat, & non  
descendat: ita enim debet esse defixus ad salu-  
tem animæ, ut omnia, quæ sunt corporis, contem-  
nat. Chrysostomus in Imperfecto homil. 49.

Quicumque tempore illo, ait, fuerit super tectum, id  
est, in rebus spiritualibus vivens qua sunt aut in ca-  
pite, aut in corde, qua tecta dicuntur corporis nostri,  
& fastigia prima: non descendat ad inferiores corpo-  
ris sui partes, unde aliquid tollat, id est, non descen-  
dat ad aliquas res carnales, ut desideret aliquid,  
quod est corporale. Alioquin comprehendet eum abo-  
minatio desolationis. Et vide, quia quæ quot pereunt  
de Christianis, propter aliquam corporalem causam  
pereunt consuetudinem deorsum.

Matth. 7. n. 16. A fructibus eorum co-  
gnosceris eos. Nunquid  
colligunt despinis uvas,  
aut de tribulis ficus.

VERSIONES.

Pagninus. A fructibus eorum agnos-  
cetur eos.  
Tertull lib. de Ab operibus suis revin-  
Prescription. cuntur.

EXPOSITIO.

39. PRÆFERAT Dominus, cavendos esse hos  
lupos, scilicet falsos doctores, hæreticos,  
ac etiam hypocritas, ut alij, exponunt, latentes  
sub ovina pelle, hoc est, sub composito, & si-  
mulato exteriori: & quia occulta cordis sunt  
abscondita homini, dat Dominus signum, per  
quod eorum malitia apprehendatur. A fructibus  
eorum. Duplex autem est eorum fructus. Primus  
mendacis, & impiæ doctrinæ. Secundus verò  
pravorum morum, & scelerum. Et si aliquando  
in ore eorum inveniantur aliquot verba, quæ  
appareant bona; tamen his non est fidendum,  
ut ait Eusebius Gallicanus homil. in Dom. 8.  
post Pentecost. Qui in verbis non discernuntur, in  
operibus comprehenduntur. Unde dixit Dominus  
Matth. 23. n. 3. Super calcedram Moysi sederunt  
Scribe, & Pharisæi, quæcumque dixerint vobis faci-  
te; secundum opera eorum nolite facere.

40. Nunquid colligant, scilicet homines, de spinis  
uvas. Et ponit Dominus exemplum, ac similitu-  
dinem ad suam doctrinam declarandam. Qualis  
enim fuerit arbor, talis & fructus; male spinæ  
non producent bonas uvas, & mali tribuli, spi-  
narum genus, teste Plinio lib. 18. cap. 17. non fe-  
runt dulces, & saporiferos ficus. Ita qualis Pro-  
pheta, talis & fructus, malus, falsus, & hæreticus

Propheta, malos opere, & doctrina fructus pro-  
bet. Tamen, ut ait Hugo, sicut vitis aliquando  
exuberat super spinas, & facit ibi uvas; unde  
notat Interlinealis. Si super spinis pendunt uvas,  
non ab eis, sed scilicet à vite proxima, Sic & Hæ-  
retici aliquando bonum aliquod externum opus,  
aut verbum præbent, sed hoc non à se ipsis,  
cùm sint lupi rapaces, sed à vestimento ovium.  
Unde, inquit idem Hugo, si aliquid dulcedine  
verborum unguunt, in fine tamen aculeis spinarum  
pungunt. Unde omnia eorum sint tibi suspecta.  
Tamen pro aliqua occasione circa ea, quæ ali-  
quando vides in peccatore, vel hypocrita, nota,  
quod dixit sapienter Augustinus. 46. in Joan.  
Bovinum carpe, spinam cave.

QUESTIO VIII.

Quomodo isti falsi propheta agnoscerentur?

AD quæstionem respondet D. Paschasius  
lib. 4. in Matth. Abulensis hoc loco quæst. 88. Paschas.  
& alij communiter. Quod isti falsi propheta, Abulens.  
quæcumque veniant in vestimentis ovium, solum  
venenum produnt, & manifestant per sua ope-  
ra, & doctrinam. Opera enim eorum sunt opera  
carnis. Quæ, ut ait Apostolus ad Galat. 5. num.  
19. Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio,  
immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servi-  
tus, veneficia, inimicitia, contentiones, amulationes,  
ira, rixa, &c. His enim vitiiis abundant isti falsi  
doctores, & hæc mala semina spargunt in popu-  
lo, ut præclare prosequitur D. Anastasius Sinaita  
in suis quæstionibus quæst. 20. Istorum etiam ini-  
quorum prophetarum mala doctrina deprava-  
rum eorum animum indicat. Nam, ut recte com-  
probat D. Chrysostomus homil. 24. ex Paulo ad  
Rom. 16. num. 18. Per dulces sermones, & benedi-  
ctiones seducunt corda. Maxime hæreticus, ac hy-  
pocrita deprehenditur in sua doctrina, sicutque  
verbis. Et hoc signum præbet Joannes 1. cap. 4.  
num. 1. ad hos lupos agnoscos, & cavendos,  
Nolite, ait, omni spiritui credere, sed probate spiritus,  
si ex Deo sunt. Quoniam multi Pseudo-propheta  
exierunt in mundum. In hoc cognoscitur spiritus Dei.  
Omnis spiritus, qui confitetur, Jesum Christum in  
carne venisse, ex Deo est. Et omnis spiritus, qui  
solvit Jesum, ex Deo non est.

Secundò, Hoc multis explicat D. Thomas.  
Quia vix, ait, aliquis hypocrita potest esse compo-  
situs, quin appareat aliquid malitia, vel verbo, vel  
facto. Proverb. 27. num. 19. Quomodo in aquis re-  
splendens vultus respicientium, sic corda homi-  
num manifesta sunt prudentibus. In duobus autem  
manifestantur. In his, quæ subito agendo occur-  
runt, quia in his, quæ cum deliberatione quis  
facit, cavet sibi. Item in tribulationibus, & labo-  
ribus facile deficient, Ecclesiast. 6. num. 8. Est  
enim amicus, secundum tempus, & non permanebit  
in die tribulationis. Item manifestantur, quando  
non possunt consequi, quod volunt; vel cùm jam  
consecuti sunt. Unde principatus virum osten-  
dit, Hæc D. Thomas.

Tertiò, Hugo magis explicans illa proximè  
citata verba D. Thomæ. Principatu virum osten-  
dit, ait Cardinalis: A fructibus eorum cognoscetur  
eos, quando scilicet sunt in dignitatibus, tunc ex  
fructibus

fructu apparent, quales prius existerint. Nam  
multi antequam obineant dignitatem, se præ-  
bent in vestimentis ovium, ut eam valeant com-  
parare; ac post obtentam, malitia, quæ intus  
latebat, prodeunt, & se exhibent, tanquam lupi  
rapaces, ut omnia devorent, omneque mor-  
deant, atque dilacerent.

Postquam Salomon clavum regni tenuit, Ado-  
nias frater ejus oblecta Bethsabee, dicens ei,  
non confundas faciem meam. 3. Reg. 2. n. 16. ut pro-  
se loquatur ad Regem, ut detur ei Abitage Sa-  
namitides in uxorem. Quod tanquam rem par-  
vulam existimavit ipsa Bethsabee ibidem n. 20.  
Quod Salomon audiens, Adoniam jubet occidi.  
Misi que Rex Salomon per manum Banais, qui  
invenit eum, & mortuus est. Magna sanè quæ-  
stio exoritur ob quam caulam Salomon occide-  
rit ob illam petitionem, quam ipse valde sub-  
misè edidit, & Bethsabee mulier valde prudens  
eam parvulam judicavit. Unde Cajetanus Salo-  
monem, ut peccati reum condemnat. Abulensis  
verò uas. 27. melius à peccato liberat. Nam  
Salomon, cùm esset ingenio acutus, & multa  
scientia illustratus, calluit malitiam Adonias, qui  
illa humili, ac submissa petitione, quæ parvula  
videbatur, affectabat in conjugem Abitag, quæ  
fuerat uxor David, & Regina, ut ea ad eam, ut  
ponderat Theodoretus, tyrannidem exerceret,  
Regnum usurparet, & Salomon occideret. Unde  
eum meritò jubet interficere. Quapropter ait  
Lyranus. Quod advertens Salomon, malitiam sci-  
licet Adonias, qui eam perspicacioris ingenij, quam  
mater sua, respondit, Postula ei regnum; contra  
animam suam loquens est Adonias. Multi enim  
sunt, qui dum degunt in Republica ut omnes

particulares submisè, ac sub ovina pelle, ac tan-  
quam re parvula contenti, dignitates machi-  
nantur. Postea verò illis adeptis, se produnt tan-  
quam lupi rapaces, tyrannidem exercent, & om-  
nes volunt interimere. O utinam Salomonis  
haberemus ingenium ad hujusmodi malum expi-  
candum, ac evitandum.

Regnante Roboamo, cùm maxime Respubli-  
ca vexaretur, ait textus 3. Reg. 12. n. 3. Veni Jero-  
boam, & omnis multitudo Israël, & locuti sumus ad  
Roboam, dicentes. Ut multitudinem tributorum  
impositam minueret. In quo hoc maxime pon-  
dera, quod primus zelator boni populi, &  
immodicam Regis contra Republicam ambi-  
tionem vult reprimere, est Jeroboam: Veni Je-  
roboam. Et tamen de hoc populi zelatore, Rege  
facto, dicitur: Fecit de novissimis populi Sacer-  
dotes excelserum: quicumque volebat, implebat  
manum suam, & fiebat Sacerdos excelserum 3.  
Reg. 13. n. 33. Quod explicat Carthusianus, &  
Hugo. Implevit manum Regis, dando ei pretium,  
sive pecuniam pro Sacerdotio obtinendo. Et de eo  
testatur Magister Historiæ Ecclesiasticæ, quod  
Jeroboamus fuit pessimus, maxime ambitiosus,  
& omnia suo tempore erant venialia; ac proinde  
maximè Respublicam vexavit ad sua pro-  
pria bona multiplicanda. Et ideo fortis inter  
alias rationes etiam in Samaria fecit vitulos  
aureos, ut donaria populi acciperet. Sed iste non  
est primus pro populo zelator erat, & qui pro  
illius commodo stabat coram Rege? Verum est.  
Sed hoc, quamdiu erat unus e populo, ac supre-  
mam affectabat dignitatem. At creatus Rex jam  
alium se exhibet; qui autem sub ovina pelle ze-

latoz reipublicæ erat, nunc jam f. Etis lupus, illius  
est devallator. Claudianus lib. 2. in Eutropium. Claudian.  
Asperius nihil est humili, cum surgit in altum.  
Vidente Jonatha Davidem, conglutinata est  
anima ejus cum anima illius, & pepererunt ami-  
citiæ fœdus, 1. R. g. 18. num. Post a verò succe-  
dentibus rebus ait Jonathas ad David, juramen-  
to interposito: Si vixerò, facies mihi misericor-  
diam Domini: si vero mortuus fuero, non auferes  
misericordiam tuam à domo mea usque in sempit-  
ernum; Pepigit ergo Jonathas fœdus cum amo  
David, Reg. 20. num. 15. Sed jam fœdus erat  
ante celebratum, ad quid secundo repetitur, ac  
iteratur? Nunquid præsumendum erat, quod  
David à suo verbo, ac fœdere dato resiliit?  
Primum pactum celebratum est, cùm David,  
tanquam homo vulgatis, ac particularis reputa-  
batur. Postea verò multis signis, ac indicis de-  
monstratis, jam agnoscebatur tanquam Rex, &  
princeps futurus; Ideo tunc secundum firmatur  
pactum: Si vixerò, facies mihi misericordiam, &c.  
Agnoverat Jonathas, tanquam prudens, quod  
homines officio, ac dignitate maxime mutantur  
à pristina conditione, ita ut omnium, quæ antea  
præcesserant, obliviscantur; ideo, ut apud se sta-  
tuit Regem futurum, minime acquiescit primo  
fœderi, sed aliud inire, ac interponere eum eo,  
tanquam Rege, necessarium judicat. Abulensis  
quæst. 23. Istud, ait, secundum fœdus fuit initum,  
quia Jonathas jam cognoverat David exalandum  
ad Regium principatum, & nullum regnaturum de  
stipite Saulis.

QUESTIO IX.

Quare iste male arbores dicuntur agnos-  
cenda ab fructibus, & non ex floribus.

RESPONDET ad quæstionem primò  
Euthymius. Quæmadmodum enim, ait, Euthym.  
bona, & generosa arbor, non floribus, sed  
a fructu cognoscitur ita sanè & hoc, non  
a floribus, sed a operibus eorum cognoscitur.  
Vult quod quamvis isti falsi doctores ab operi-  
bus, ac doctrina deprehendantur; ab operi-  
bus tamen eorum iniquitas potius detegitur,  
juxta illud supra citatum Christi Domini. Super  
cathedram Moysi sederunt Scribe, &c. Sed illud  
preme ad intentum nostræ quæstionis, Quod  
non à floribus, sed à fructu cognoscitur. Qualitas  
enim, & nota arboris bona, vel mala, in flori-  
bus etiam latet, clarè, ac patenter manifestantur  
fructu. Non ergo à floribus, sed à fructu con-  
ditio arboris deprehenditur. Unusquisque bo-  
nus, vel malus, fidelis, vel hæreticus, justus, vel  
hypocrita, non est judicandus nec censendus per  
id quod occultatur, sed per id quod patenter, &  
clarè exit, ac prodit in publicum. Unde de istis  
falsis prophetis, cùm sint intrinsecus lupi rapa-  
ces, ait Dominus, quod à fructibus, qui foras  
erumpunt, agnoscentur, Chrytologus statim ci-  
tandus. Quod latet in herba, manifestatur in spi-  
ca; & quod celatur in gramine, aperitur in fructu;  
sic quos credentes putamus oves, fide dispares inven-  
imus; sic judicij prodit missi; quod Ecclesia ger-  
men occultat, juxta illud dictum Dominicum: A  
fructibus eorum cognoscetur eos.



48. Chryfolog. Secundo, D. Chryfologus ferm. 79. *Ait Dominus: Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Flores multi, multitudinem fructuum pollicentur; sed examinati ventorum flabris ad fructum paucissimi perseverant. Sic credentes in Christo, multi in Ecclesia videntur in pace; ubi autem persecutionis procella perflaverit, pauci martyres reperuntur in fructu.* Arborea in multos flores erumpentes in serenitate temporis multos fructus promittunt: tamen irruente tempestate agitantur hac, & illic rami arboris, multi flores decidunt, & pauci remanent ad fructum. Agnoscenda ergo arborea, seu doctores in Ecclesia, ait Dominus, non a floribus sed a fructu: multi enim in serenitate temporis multos fructus ostendant, multoque fructus promittunt; saviente tamen tempestate persecutionis, paucissimi perseverant ad fructum.

49. Cantic. 4. Septuag. *Ait Christus Dominus de anima dilecta: Sicut fraxinem mali punici, ita gene tua.* Cantic. 4. num. 3. *Seu, ut habent Septuaginta: Sicut cortex mali punici.* Ubi illud maxime est ponderandum, quod eam non comparat cum integro malo punico, sed cum cortice. Cur non potius cum ipsis granis, quae suo purpureo colore maxime visum attrahunt? Cassiodorus, Justus Orgelitanus, & Beda existimant, hic laudari constantiam Justorum, ac sanctorum Martyrum. Et bene cum cortice, & non cum granis assimilatur: nam inter illa, haec est differentia. Dum malum punicum aperitur, grana in serenitate temporum mira elegantia, ac pulchritudine rubent, & apparent, ac valde per jucundum aspectum videntibus praebent; tamen si irruit tempestat, & concutitur arbor, facile decidunt, & cadunt. At vero cortex, in quacunque ventorum adversitate, firma adharet, & infixa consistit in arbore. Bene ergo Justus non comparantur cum granis, sed cum cortice: nam eorum perfectio visitur, non in eo, quod in lenitate rerum multa promittant, & elegantem verborum aspectum praebent, sed quod in altercatione temporum immobiliter perseverantes, Christo verae viti adherent. Catena trium Patrum. *Cortici mali punici similes sunt gene tua, ut severitatis amantes, atque ab omni dissolutione remota.* Et recte dicitur, *Gene tua, sicut cortex:* nam sicut homo per genas, ac faciem agnoscitur; ita verus, & fidelis servus Christi, tanquam per faciem, ac vultum cognoscitur in persistentia, ac permanentia, saviente persecutione.

50. Matth. 3. *De Christo Domino Joannes ait: Cujus ventilabrum in manu ejus, & permundabit aream suam, Matth. 3. num. 12.* Et in area triticum, & palea, dum omnia sunt in quietudine, ac serenitate: immo in area majorem locum occupat fructum, quam triticum, & magis se conspicibile praebet; at dum ventilantur, stante vento, triticum in area remanet; palea vero dispergitur, ac per aera rapitur. In Ecclesia sunt Justus, & peccatores; at si persecutionis ardor accenditur, Justus remanent in Christi area, palea vero peccatores fugiunt, & disparent. Tertullianus lib. de fuga in persecut. cap. 1. *Domini judicium est persecutio, ait, per quam quis, aut probatus judicatur. Hac est palea illa, qua nunc dominicam aream purgat, Ecclesiam scilicet: confusum acervum eventilans, frumentum martyrum, & paleas negotiatorum.*

Multi magna promittunt in tempestate deficiunt.

Multi stant in serenitate temporum, qui in tempestate decidunt.

Rotrobi in ventilatore disparent. Tertull.

QUESTIO X.

Quare Dominus hic adducat in exemplum potius uvam, & ficum, quam alia poma?



D. quaestionem recte responderi primò Chryfostomus in Imperf. & hom. 19. *Uva, ait, mysterium in se Christi habet: sicut enim botrus multa in se grana ligno mediana suspendit; sic Christus multos, sibi fideles per lignum Crucis tenet ad se. Similiter & sicut ficus multa grana uno tegmine tenet inclusa, sic & multos fideles quodam dulci charitatis amplexu una tenet Ecclesia. Et sicut in ficu, signa haec, charitatis quidem in dulcedine, unitatis autem in conjunctione granorum.* Optime ergo ad agnoscendum fructus veri, vel falsi prophetae, ponuntur in exemplum uva, vel ficus; quae unionem, & charitatem adumbrant. Verus enim Propheta, ac bonus Praedicator hujusmodi fructus profert, qui maxime intendit eructare doctrinam, quae unionem praestet, tam in ipsis fidelibus, quam cum suo capite Christo Jesu, ac eius sponsa Ecclesia sancta Romana. His autem fructus minime producit falsus propheta, ac haereticus, qui nihil aliud scit nisi seminare divisiones, ac dissensiones; & tribulos, & spinas dare.

Secundo idem Chryfostomus citato loco, *Et sunt in signa haec: Charitatis quidem in dulcedine; unitatis autem in conjunctione granorum. In uva quidem est patientia signum; quia in torcular mittitur; gaudij autem in spe; quia vinum latificat cor hominis: sinceritatis autem, quia non est aqua permixtum; & delictatio suavitatis. De his autem scriptum est. Ad Galat. 5. num. 19. Fructus autem spiritus est, charitas, gaudium, pax, patientia, &c. Spina autem sunt haeretici. Ergo non possunt spina, & tribuli, Ecclesiasticos fructus proferre; sed quid profert? Vulnera, tribulationes, & caetera mala. Fructus Praedicatorum, doctores Ecclesiasticorum recte per uvam, & ficum significantur; nam sua dulcedine, ac sapore animam recreant, cor latificant, & cum sua sinceritate hominem mira suavitate replent. At falsi prophetae, iniqui pastores, & magistri, hujusmodi fructus non producant, sed spinas, & tribulos, qui solum hominem vulnerant, ac lacerant; & simulata quadam malitia, promittunt subditis dulcedinem uvarum dantes, spinarum aculeos; ut idem S. Pater ponderat. Tandem spina non dant uvam, & ficus, quae cunctis dant suavitatem: nec omnibus amantibus dant umbram, sicut bonae arborea. Sed spina, tanquam mali Praeclari, sunt sub umbra sua ad requiescendum, recipiunt venenosos, & pestiferos serpentes. Sub malo pastore solum inveniunt requiem, & levamen mali, & venenosus serpentes. Pergit idem Chryfostomus. *Sub arbore bona bestia, & animalia requiescunt, sub spinis autem nullum animal requiescere potest, nisi tantummodo serpentes: sic iuxta fideles homines boni, & mali pacem habere possunt: iuxta autem infideles nemo potest pacem habere, neque requiescere in eis, nisi tantum serpentes.**

Chryfost.

Chryfost.

Sub malo pastore inveniunt otium requiem venosus serpentes.

Tertio

VERSIONES.

Euthym. n. 17. Sic omnis arbor vitiosa, Pagninus. Va- Putris autem arbor malos fructus gignit. Syriacus n. 18. Impossibile est arborem bonam malos fructus facere. Arias. Neque arbor cariola fructus pulchros facere.

ALTER TEXTUS.

Luc. 6. n. 43. Non est enim arbor bona, quae facit fructus malos, neque arbor mala faciens fructum bonum.

EXPOSITIO.

EXPLICAT Dominus, ait Albertus Magus, naturam, & proprietates Arboris ex eius potentia, & fructu, seu operatione. Et cum potentia, seu qualitas arboris sit nobis occulta ex eius fructu cognoscenda est: nam semper fructus, & operatio proportionatur naturae rei; Et utinam, ut hoc contingit in arboribus, sic & in hominibus Nomine autem arboris hoc loco intellige etiam fructus omnes. Et sicut uva non colligitur, nisi a nuclea, ita & boni fructus non capiuntur ex mala arbore, sed ex bona; Et per hanc parabolam denotat Dominus, quod ad bono, & vero doctore, quo dicitur talis, bona, & non mala doctrinae documenta eructantur. A malo autem magistro, ut talis est, non nisi mala semina proveniunt. Quod clarus explicabo cum aliis expositionibus quae sequuntur.

QUESTIO XI.

Quomodo intelligendum in hominibus, quod arbor mala non possit fructus malos facere: nec arbor mala bonos fructus facere?

QUANquam enim in arboribus, & plantis haec vera sint, cum naturaliter producant; non enim arbor bona malos fructus, nec mala bonos evadere potest; quomodo autem haec vera sint in hominibus, maxime dubium est, nam liberè operantur. Homo enim bonos aliquando in malos germinat fructus, ut in verba otiosa, peccata venialia; immo & aliquando à virtute deficit, & in gravia peccata praecipitatur. Homo autem malus aliquos etiam bonos fructus ex genere suo edere potest, ut elemosinam, jejunium, parentibus reverentiam. Et ideo in praesenti difficultate variae possunt esse sententiae. Nam D. Cassiodorus Arietanus, homil. 24. per hanc arborem intelligit divitem. Sic ait: *Timent, dives illud quod*

53. Tertiò D. Thomas, Per uvam, ait, ex quibus sit vinum, intelligitur spiritalis latitia, quia vinum latificat cor hominis, Psal. 103. Per ficum dulcedo Ecclesiasticae pacis, quae est charitas: haec non possunt nasci de tribulis, id est, peccatoribus, quia spinas, & tribulos germinabit tibi, Genes. 3. Dulcedinem pacis, & unionis non dant iniqui peccatores praefigurati in spinis, & tribulis.

Hugo. Quarto. Cardinalis Hugo per spinas, & tribulos intelligit peccata, peccatores, ac divitias hujus saeculi, ex quibus dulces uvarum, fitorumque fructus colligi nequeunt.

54. Quintò. Non dixit Dominus, quod spinae non possunt germinare malogranata, & noces, sed uvam, & ficum; nam haec est differentia; quia fructus in malogranatis, & nucibus cortice sunt contenti; at in uva, & ficu fructus est apertus, & manifestus, nullo putamine involutus. Optime ergo Catholica, & sancta doctrina; non cum illis, sed cum istis comparatur; Christiana enim doctrinae veritas non absconditur, nullo enim involucre operitur, sed clarè, & patenter prodit, ac exit in publicum.

55. Innumerabilia sunt discrimina inter Christum Jesum, ac Pharisaeos, ut pote inter filium Dei, ac Diaboli membra. Illud, tamen maxime ponderandum, quod Christus Dominus aperte, & alta voce loquebatur Joan. 7. num. 37. *In novissimo autem die magno festivitatis staba Jesus, & clamaba. A Pharisaei furtivè, & submissa voce loquebantur Pharisaeos, qui Dominum invitaverat, Au in a se, dicens: Hic si esset Propheta, Luc. 7. num. 39. Et frequenter mala cogitabant, & dicebant in cordibus. Et ita eis Dominus dicebat: Quid cogitatis mala in cordibus vestris, Matth. 1. n. m. 4. & cap. 21. num. 25. Luc. 5. n. 21. Et frequenter intra se mormurabant, Luc. 15. num. 1. & 19. num. 7. Joan. 6. num. 41. & 43. & 6. 7. num. 4. Ratio hujus diversitatis aperta, & clara. Nam Christus Dominus veram, & sanctam doctrinam eructabat; & ideo non poterat absconditè detineri, sed patenter, & alta voce prodibat. At Pharisaei mendacia, & falsa machinabantur; & ideo eorum dicta abscondita, & perfossa latibula querebat, D. Chryfologus ferm. 31. *Bonitas virtutum mater, ait, malitia origo vitiorum; virtutes comitatur gloria; inhæret vitiiis cognata confusio; sicut vitia teguntur dolis; ita illustrantur libertate virtutes. Hinc est, quod Christus virtutum lux agebat libe, loquebatur purè, praestabat ut Deus, patiebatur ut parens, ut Dominus arguebat. Judaei vero, progenies viperarum summittentibus capita, adulabantur lingua, vulnera dabant, dolis, & blasphemis venena fundebant, & tota cupidi simulatione valebant. Vide lib. 1. c. 6. num. 47. & lib. 3. cap. 1. num. 62. & 63.**

56. Bonitas virtutum mater, ait, malitia origo vitiorum; virtutes comitatur gloria; inhæret vitiiis cognata confusio; sicut vitia teguntur dolis; ita illustrantur libertate virtutes. Hinc est, quod Christus virtutum lux agebat libe, loquebatur purè, praestabat ut Deus, patiebatur ut parens, ut Dominus arguebat. Judaei vero, progenies viperarum summittentibus capita, adulabantur lingua, vulnera dabant, dolis, & blasphemis venena fundebant, & tota cupidi simulatione valebant. Vide lib. 1. c. 6. num. 47. & lib. 3. cap. 1. num. 62. & 63.

Chryfost.

Matth. 7. n. 17. Sic omnis arbor bona fructus bonos facit: mala autem arbor malos fructus facit.

Ibid. num. 8. Non potest arbor bona malos fructus facere; neque arbor mala bonos fructus facere.

Sylveira in Evang. Tom. II.

Rr 3